

Bibliothèque numérique

medic@

**Ferrari, Ognibene. Omniboni Ferrarii
medici ac philosophi De arte medica
infantium aphorismorum particulae
tres**

*Brixiae , apud Franciscum, et Pet: Mariam fratres, de
Marchettis, 1577.*

Cote : 6151(2)



OMNIBONI

FERRARI

MEDICI

AC PHILOSOPHI

DE ARTE MEDICA INFANTIVM

APHORISMORVM,

PARTICVLÆ TRES.




BRIXIAE.

Apud Franciscum, & Pet: Mariam fratres, de Marchettis.

M. D. LXXVII.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



ILLVSTRISSIMO AC
GENEROSO D. VITO

DE DORIMBERGIO

EQVITI AVRATO, SACRAE CAESAREAE
MAIESTATIS CONSILIARIO, ET APND

Illustrissimum Senatum Venetum
Oratori

OMNIBONVS FERRARIVS MEDI-
CVS ET PHILOSOPHVS

S. P. D.



AXIMVM Solatium esse soles
(Illustrissime Orator) inter aduer-
sas fluctuum tempestates, & mul-
tiplices uitae huius perturbationes fi-
dum aliquem Pollucem conspicerem,
eo enim viso, illico uenti concidunt-
fugiantq; nubes, & minax unda re-
cumbit. Vnde in te unum ante alios in hoc gurgite uasto
amicum, & salutare meum sydus intueri mihi licet, cum
tua, qua es in omnes singulari humanitate, mei, & fratris
fautorem te praestiteris adeo, ut ambo cum uniuersa nostra
familia tibi deuincti, & perpetuo nodo obligati simus. Haec
autem cum menti meae infixae penitus inhaererent, cuperemq;
grati animi mei signum erga te aliquod edere, quod aliud
aptius in praesentia non suppetebat, non ab re fore existimaui.
Si quum proximè de Arte medica infantium aphorismo-

rum particulas tres confecissem, multa q̄ in unum redigissem
 partim meo ut dicitur Marte, atque usu etiam excogitata,
 comperta q̄; partim ex probatissimis auctoribus excerpta,
 eas tibi consecratas in tuo nomine uellem apparere; quan-
 quam hoc ut facerem tua me etiam animi fortitudo impulit,
 ac uigilantia, quam nunc apud Illustrissimum Senatum Ve-
 netum inuictissimi Cæsaris Maximiliani secundi Legatus
 personam sustinens assidue tua multa cum laude, & gloria
 declaras. Vnde & literarum studia, in quibus à pueritia
 uersatus es, & integritas uitæ, & religionis ueræ studium, di-
 sciplinarum q̄ omnium peritia te gratissimum, & optatissi-
 mum familiarem Principibus Christianis reddunt, in-
 ter quos tua dexteritate, & auctoritate concordiam dum
 mire conseruas, euenit ut Serenissimus Princeps Carolus
 Archidux Austria te, ut præsidem sui archiducalis con-
 siliij constitueret, à Cæsare petierit, nec ille tamen, ne tam
 diligenti, gratoq̄ sibi ministro, cui non alium facile parem
 se inuenturum consideret, carendum esset, petitioni amantis-
 simi fratris assensus sit, sed bona eius tamen cum gratia, &
 multa tua cū gloria in ista legatione apud Venetos te denuo
 confirmarit; & statim ad Ligures tumultuosè belli incēdia,
 inter ipsos orta magis, magisq̄ quotidie accendentes, ad pa-
 cem conciliandam legauit, quæ tandem maxima ex parte
 accuratissima diligentia tua, secuta, & stabilita est. Suscipe
 igitur Illustrissime Eques munusculum hoc meum hilari
 fronte, ueluti signum, & pignus amoris, & obseruantia
 erga te mea. Vale.

3
OMNIBONVS FERRARIVS
MEDICVS ET PHI-
LOSOPHVS
CANDIDO LECTORI
S. D.



AQVAE præcipua in Arte Medica Infantum
tam à nobis inuenta, ac longo rerum vfu per-
cepta, quàm ex auctoritate probatorum au-
ctorum descripta sunt in aphoristicam doctri-
nam tribus particulis comprehensam collegi-
mus, quas veluti flores ex pratis legentes, &
flauentia ferta texentes, quibus tempora memoriæ huius ar-
tis studiosi inectere valeant, in lucem edere decreuimus, bre-
uitatem secuti, ità tamen, vt tenebroræ obscuritati nullum lo-
cum reliquisse videri possimus. Vt autem res tota in suo na-
turali statu permaneret, ubiq; ferè sententias, & verba propria
aliorum scriptorum retinenda putauimus. Accipies igitur
candide lector has nostras lucubrationes, ex quibus si ad ailen-
dos, & curandos infantes commodum aliquem fructum ali-
quando reportaris id totum ad D.O.M. gloriam referto,
& mei memor esto. Vale.

OMNIBONVS FERRARIVS
MEDICVS ET PHILOSOPHVS
ANTONII GROTTÆ.



Hec Tenere infantum cur tot corpuscula pridem
Funere præcipiti merfit acerba dies?
An fera se voluit Mors exaturare prius, quàm
Surgeret **OMNIBONI** firmior arte Puer.

APHORISMORVM DE ARTE MEDICA INFANTIVM

PARTICVLA PRIMA.



INFANS Dicitur ille, qui nondum fari capit, Puer uerò qui purus est, & nondum ad pubertatis annos peruenit.

In nutritione infantium semper mater nutricibus preferenda est, nisi ex defectiōe, aut corruptione lactis, aut aliqua aegritudine, impossibilitate uē, aut malis moribus hoc prohibeatur.

- 5 Infantes à matribus alienis educati à proprijs matrum naturis multum discrepant.
- 6 Veluti hedi lacte ouillo nutriti pilum gignunt teneriorem, & agni lacte caprarum aliti lanam ferunt duriorē, ita & infantes alieno lacte nutriti.
- 7 Infantes eius naturam à qua nutriuntur sapiunt.
- 8 Lac purioris sanguinis menstrui parti, ex qua fœtus in utero alitur, affine est.
- 9 Inbumanum, monstrosūq; esse uidetur, filium concepisse, & sine legitima causa eundem seorsum alieno lacte nutrire.
- 10 Ii, qui filios alijs nutriendos aliorum dederunt, uinculum amoris, quo genitores cum filijs natura constrinxit intercidunt.
- 11 Quę non lactat filium suum, non est integra mater.
- 12 Infantes aliquando cum alieno lacte aluntur magis amant nutricem, quàm matrem.
- 13 Vnusquisq; presumit laudabilioribus moribus ornatam esse matrem, quàm nutricem.
- 14 Nutrix bonorum morum est eligenda.
- 15 Opulenti uerò plures nutrices conueniunt, si una lacte non abundat.
- 16 Infans unius naturę lacte multo salubrius nutrietur, quàm diuersarū.
- 17 Nutrix nulli p̄ter naturā affectioni obnoxia, iudicio delectuq; paretur.
- 18 Et ut facilius nutrix lacte abundare ualeat, & sustinere ea, quę lactantibus solent accidere, mediocris etatis, & quę iam bis peperit, & abortum passa non est, & semel saltem lactauit, est eligenda.

- 17 Nutrix illa melior est, quæ masculum non feminam peperit.
- 18 Nutrici curam cerebri, cordis, iecinoris, & stomachi habere conuenit, ut sanguinem bonum generare possit.
- 19 Qualis est sanguis, tale est lac.
- 20 Lac si optimum est, gustanti, olfacienti quæ suauis, intuenti candidum, æquabile, ac liquidum, crassique medium apparebit. Quod uitiosum est è diuerso.
- 21 Lac inculpatum est, quod dum super pollicis ungucem, nitoris contemplandi gratia instillatur, flexo ungue nec cito, nec lente delabitur.
- 22 Præter ea, quæ in lacte optima requiruntur, copia est necessaria.
- 23 Lac uitiosum succum probum non gignit.
- 24 Si bouis cibus alantur nutrices, lac pariter boni chymi generant.
- 25 Nutrix bis quotidie cibum sumat, sic tamen, ut famen cibus, sitim potus expectet.
- 26 Nutrix ab omnibus bellarijs abstineat.
- 27 Ex cibus, qui facile non putrescunt, nutriri debet nutrix.
- 28 Nutrix fugiat diurnum somnum post cibum, nocturnum sibi conciliet.
- 29 Nutrici dormire saltem per horam à cæna conuenit, diluculo surgere.
- 30 Euitet nutrix uigilias noctis, dies enim uigilia, nox somno tributa est.
- 31 Nutrices à Venere abstineant, menses enim prouocat, qui postea lac in deterius mutant, & aliquæ in utero concipiunt.
- 32 Quicquid sanguinis est optimum, infatum, & Venerem absuntur.
- 33 Nutrice prægnante nihil peius.
- 34 Partes corporis superiores nutrix bis quotidie exerceat.
- 35 Nutrix ab otio maximè caueat.
- 36 Missio sanguinis, & medicamenta ualde exsiccantia, & calfacientia in nutrice uitanda.
- 37 In uitioso lacte sanguinem inspicere oportet, & si biliosus est primum purgationem desiderat, mox uitum.
- 38 Lac in mammis superfluens nutrici plurimum nocet, affert enim abscessus, & ægrotudines.
- 39 Crassius lac abscessus, & furunculos in infantis corpore progignit.
- 40 Si lac fiat acre, appetitus deficit, & pustulæ acerrimæ in corpore fiunt.
- 41 Lacte in nutrice deficiente, alia infantem lactato.
- 42 Si nutrix medicinam solutiua sumpserit, alia per diem naturalem lactet infantem.
- 43 Lac in caseum conuersum, nisi statim curetur gignit abscessum.
- 44 Lac congelatum facit obstructions, & facile ad aquam inter cutem, & febrem perducit.
- 45 Inter lactandum nutrix ad utraq; mamillam conuertat infantem.

APHO

APHORISMORVM

DE ARTE MEDICA INFANTIVM

PARTICVLA SECYNDÆ.



- 1 **D**E AERE, in primis prò infantis tuenda sanitate, parua non habenda est ratio.
- 2 Si infans natus sit uel in urbe, uel eius aliquo uico, uel ruri, seu aliqua in domo insalubri aere infecta in alium salubriorem ducendus, & educandus est.
- 3 Infantibus in quibus aliqua exuperans qualitas dominatur, is utilissimus aer est, qui ei qualitati maximè est aduersus.
- 4 Si mater per totum prægationis tempus sana fuit, ac natus recens infans in terra positus eiulatum edit, & integras omnes partes, & sensus habet, ipse quoque sanus est.
- 5 Si statim editus in lucem infans arti sanitatis tuendæ tradatur educandus, fortunatus utique erit.
- 6 Umbilicum quatuor à uentre digitis refecare oportet, ubi primum natus est infans.
- 7 Prohibeatur nè umbilici resectio fiat arundinibus, aut uitris.
- 8 Umbilicus post incisionem duplicatus, & lana inuolutus leniter in medio componatur.
- 9 Infantium corpora mollia, & fluxa sunt.
- 10 Infantibus ex imbecillitate instrumenti ratio sopita est.
- 11 A principio nares præcipuè infantis digitis subindè sunt repurgandæ.
- 12 Oculi infantis statim ut ortus est exiguo oleo illinantur.
- 13 Post ortum infantis ani orificium illicò minuto digito aperitor.
- 14 Edito in lucem infante, uesica eius quamprimum premenda est, ut urine excitus fiat facilior.
- 15 Infantis membra suauiter, & rectè fascijs inuoluantur.
- 16 Modo nato melcibus omnium primus præbeatur, usque dum matris, aut nutricis natura recenti partu concussa in pristinum habitum se receperit.
- 17 Ab initio statim infans multo lacte onerandus non est, lactandus

B

- tamen bis, terque quotidie.
- 18 Non lactet mulierem prænantem.
 - 19 Solo lacte infans nutriendus est, usque quo dentes anteriores emittat.
 - 20 Ut plurimum mense scilicet septimo, & undecimo in infantibus dentes enascuntur.
 - 21 Citius dentiunt, qui lac calidius sugunt, & qui frigidius è diverso.
 - 22 Dare operam oportet ut infans dum lac sugit modò dextram, modò sinistram manum liberam habeat.
 - 23 Ut cutis geniti modò infantis, eiusque membra densiora, & duriora fiant, statim post eius ortum, modico sale trito, & oleo oliuarum dulci inungatur, friceturque.
 - 24 Frictiones infantibus, & inunctiones conueniunt quotidie, donec tres annos excesserint.
 - 25 Balneare etiam conuenit quotidie infantem semel tantum usque in quartum à natali mensem, & usque ad septimum alternis diebus, à septimo uerò usque quo à lacte amoveatur bis singulis hebdomadibus.
 - 26 A longiori somno excitatus infans fricetur statim, & balneetur.
 - 27 Frequens lauacrum reddit corpus flaccidum, & imbecille.
 - 28 Balneum infantis astate aqua suauis, & tepida fieri debet, hyeme calida non tamen pungente.
 - 29 Signo sanctissimæ Crucis muniatur infans, nè ab aliqua nocturna, & malefica strige fascinetur.
 - 30 Communis quædam est, & uetus opinio, Aniculas quasdam sagas, (quæ & striges uulgò dicuntur) infantium sanguinem sugere, quo pro uiribus inueneant.
 - 31 Manus, & pedes infantis à natali usque ad menses quatuor fasciæ deligandi sunt, transacto quarto, soluenda sunt manus, & brachia, & etiam pedes post decimum: totus autem thorax, & uenter usque ad biennium fasciæ inuoluendi.
 - 32 Ut tutus conseruetur infans nunquam uel dormiens, uel uigilans relinquendus est sine custodia.
 - 33 Infans semper (nisi aliud indicetur) in partibus supernis domus à terra remotis habendus est.
 - 34 Lucernæ semper habendæ sunt apud cunas ad pedes, non post caput infantis.
 - 35 Nocturno tempore apud nutricem locandus non est infans in lectulo, donec manibus, & pedibus solutis ad motiones naturales peragendas aptus sit, nè suffocetur.
 - 36 Cubiculum infantis à Septentrione semper fenestras habeat clausas, à meridie per hyemem, autumnum, & astatem interdum.

- 37 In cubiculo infantis orientem, & occidentem uersus quotidie hyeme aperiantur fenestrae, manae orientales, à meridie occidentales.
- 38 Tempore quo imbres abundauerint, & praecipue hyeme ignis in cubiculo infantis accendatur quotidie.
- 39 Aestate ad euitandum feruidissimum solis uaporem orientales fenestrae quotidie summo mane aperiantur saltem per horas tres, aliae omnes claudantur; post solis uero occasum denuò aperiantur occidentales, & orientales.
- 40 Fletus temperatus antequam infans lac sugat confert ei ad membra spiritalia dilatanda, cetera corroboranda, & cerebrum, caputque purgandum.
- 41 Ab anno à natali secundo incipiunt infantes secundum rationem intelligere, loqui, & ambulare.
- 42 Dolores infantibus lenire, & somnum conciliare triplici uia prudentiores nutrices solitae sunt, papilla mamillarum ori eorum apposita, motu in cunis mediocri, & uocis modulatione.
- 43 Infantes nunquam plorant sine legitima causa, quippe loquelae adhuc expertes ploratu, clamore, iracundia, & agitatione dolorem suum indicant.
- 44 Infans semper exactissimam munditiam amat.
- 45 Cum apparuerint, & firmati fuerint primi duales, & anteriores dentes (non omisso tamen lacte) tunc infantem solidiori cibo assuefacere conuenit.
- 46 Infantes unius nutricis lacti assueti difficile ab altera lac emulget, eoque sit, ut nonnulli interdum propterea inedia pereant.
- 47 Vicius humidus infantibus conuenit.
- 48 Lactantes ultra biennium, nisi maior urgeat necessitas ex sententia quorundam, tardiusculi sunt, disciplinaeque apprehendendae parum idonei.
- 49 Infantes lactentes si multum mingant, minimè anniculi fiunt.
- 50 Qui plus mingunt, quàm egerunt, pro ratione pinguiore sunt.
- 51 Qui uis aluus ualde lubrica est, & benè concoquunt, hi saniores sunt.
- 52 Quibus modicè profluit, & uoraces sunt, & non pro ratione similiter nutriuntur morbofi.
- 53 Voraces multum lactis trahentes non pro ratione carnosi fiunt.
- 54 Qui pinguiore benè dormiunt, multum alimentum adsumunt, idque adiacet, non sufficienter distributum.
- 55 Quibus in sugendo lac tusis instat, uiam maiorem habere solent.
- 56 Postquam lac suxit, statim non exhibeantur infanti (nè lac in stomacho coaguletur) acida, salsa, aromatica, acria, & uinosa.

- 57 Infantes minimè ieiunium ferunt, præsertim qui inter ipsos sunt ui-
uidiores.
- 58 Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent
alimento, alioqui corpus absumitur.
- 59 Propter incrementum uehementer concoquunt.
- 60 Vinum antè remotionem à lacte non est exhibendum.
- 61 Vinum ad iram præcipites, & pertinaces facit infantes, & partem
animi rationalem hebetem, atque turbidam reddit.
- 62 Qui comedunt infantes, à cibis unctuosos, pinguibus, & dulcibus, atq;
fructibus facillè putrescentibus cohibendi, sunt, donec ratione di-
gnoscant.
- 63 Eorum quæ uentriculus continet, præcipitior distributio in corpus
fiet, si post cibum bibat, quem balneum exceperit.
- 64 Si ingreditur aqua in aurem infantis, dum balneatur quandoque in
radicibus aurium eius apostemata existunt, ob id uehementem in-
currit dolorem.
- 65 Cum lauit, sumpsitque cibum det membra sopori.
- 66 In cunis cubare oportet infantem supinum, & ei stratum concauum
parare, & satis molle.
- 67 Infans dormiat in loco tenebroso, & modicè calido, nisi aliter cogat ne-
cessitas, ubi non adsit fumus, nec malus odor, & ubi eum dormien-
tem ledere non possint animalia uenenoſa.
- 68 Infans custodiatur à prohibentibus somnum.
- 69 Maiorem partem temporis infantes dormiunt.
- 70 Cum surgit à somno infans lucem intueri assuescat, & cælum inspi-
cere.
- 71 In tenebris infantes paucunt.
- 72 Infantes uoluptate, & uictoria gaudere præferunt.
- 73 Ingredi, ambulare, uel aliquid motus facere infans immaturè cogen-
dus non est, nè eius membra distorquantur.
- 74 Ab infante remouendi sunt lapides, ligna, fustes, cultelli, uirum
& omnia, quæ ledere, pungere, incidere, frangere, aut grauare
possunt.
- 75 Infans remoueatur semper ab igne, ab aquis, à puteis à locis altis, et
ad quæ conueniunt, & per quæ transeunt animalia, quæ uel morſu,
uel cornibus, uel pedibus, uel aculeo ledere solent.
- 76 Cum infans omnium dentium perfectum iam numerum expleuerit, ut
incidere, & manducare cibum solidum, citrà noxam ualeat, à lacte
remoueatur.
- 77 Perfectus numerus dentium in unoquoque humano corpore est qui

- continet duos, & triginta, scilicet octo incisores, quatuor caninos, & uiginti molares.
- 78 A lacte remotio uere, uel autumnis sensim facienda est.
- 79 Quidam sugunt interim cibum adsumunt, facilius ablactationem ferunt.
- 80 Potus dandus est uinum dilutum infanti cum iam firmior factus fuerit.
- 81 Cauendum est ne infans incidat in iram, seu timorem uehementem aut tristitiam, aut uigilias.
- 82 Animi perturbationes, & uigiliae ualde exsiccant, & alterant corpus infantis, & impedimento sunt, ne increcant.
- 83 Infanti quod expetit illico praebendum est, quod auersatur amouendum.
- 84 Infantes molles sunt instar cerae, quae omnem sigilli formam recipit.
- 85 Animi mores infantium uitiunt consuetudines praeuae, cibi, potus, gymnasia, inspectiones, auditiones, & mala musica.
- 86 Ante sex annos infans non est in disciplinam magistro dandus.
- 87 A sexto usque ad decimum quartum annum infans nec multis, nec uolentis fatigandus est gymnasijs, ne eius augmentum impediatur.

APHORISMORVM

DE ARTE MEDICA INFANTIVM

PARTICVLA TERTIA.



- 1 NFANTES Cum in exitu à matricis utero non rectè ab obstetricibus excipiuntur, nec commodè fascijs inuoluuntur facillè inuertuntur.
- 2 Quamdiu infantes sunt in utero matris per umbilicum mingunt, & orti etiam antequam ligentur.
- 3 Infantium urinæ ad lactis proprietatem trahunt ex parte nutrimenti eorum.
- 4 Pulsus infantis creberrimus est.
- 5 Infantium natura calida est, & humida.
- 6 Ex uocalium instrumentorum angustia uocem infantes reddunt acutâ.
- 6 In infantia magis, quàm in pueritia pituita abundat.
- 8 In pueritia in dies fit diminutio pituitæ, & calor, & sanguis augetur.
- 9 Ætas infantie est cum membra ipsius infantis nondum ad motiones, & ad ambulandum sunt apta, & extenditur usque ad biennium, & dentitionem.
- 10 Pueritia est post ambulationem, & antè corporis firmitatem, cum nondum dentes ceciderint, & nati fuerint, extenditurque usque ad septimum, atque etiam ad tertium decimum annum, & uocatur ætas media inter dentitionem, & pubertatem.
- 11 Natura infantium habet eandem rationem in ætatibus, quam uer in quatuor temporibus anni.
- 12 Ossium natura in paruulis, atque etiam infantibus cærea potius uidetur.
- 13 In ætatibus autem talia contingunt, paruulis, & ruper natis puerulis, oris ulcera (quæ aphthæ uocantur) uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.
- 14 Aurium humiditas, & expurgatio per aures à natura aliena est.
- 15 In progressu uerò cum iam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluvia, & maxime cum caninos edunt dentes, et ijs præsertim, qui crassissimi sunt, & aluos habet astrictas.

- 16 Cùm uerò iam magis adoluerint, tonsillæ, & uertebrae, quæ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos greci asthmata uocant, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, uerruce quas greci acrochordonas uocant, tentigines, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè antedicta.
- 17 Grandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & se bres diurnæ magis, & ex naribus profluvia sanguinis.
- 18 Plurimæ autem ægritudines in paruulis iudicantur partim diebus quadraginta, partim mensibus septem, alijs annis totidem, quædam uerò in iam ad pubem accedentibus. Quæ uerò permanferint, nec puerulis in pubertate desierint, aut scæminis cum menstrua erumpunt, solent esse diurnæ.
- 19 Ex praua uictus ratione nutricis in multas ægritudines infantes incurrunt.
- 20 Infantium corpora si à nutricibus perperam aut leuantur, aut reponuntur, facile deprauantur.
- 21 Nutrices cum cibis utuntur minus idoneis infantes etiam corporis à natura optimè constituti uarijs morborum generibus exponunt.
- 22 In curatione morborum infantium habenda primum ratio est uictus nutricis ipsius, ut rectè se habeat.
- 23 Infantes facilius, quàm adultos uidere est maximas ægritudines tolerare, & præcipuè quorum alimentum cibus est lac.
- 24 Infantes nisi obftet inedia sape ex diurnis, & grauissimis morbis euadunt, & conualescunt.
- 25 Si in nutrice aliquod ex quatuor humoribus redundet, redundantia ipsa statim erit minuenda, & propria euacuatione tollenda.
- 26 Si nutrix medicinam solutiuam sumpserit, per diem naturalem alia nutrix lactet infantem, nisi per eam etiam infantem purgare uolueris.
- 27 Nutrices, infantesq; omni ope (uitatis aluum soluentibus medicinis) esculentis, & poculentis curandi sunt.
- 28 Prodest etiam infantibus medicamentum non sentientibus si nutricibus præbeatur.
- 29 Cauenda sunt in nutrice missio sanguinis, medicamenta ualdè exsiccantia, excalfacientia, aut frigefacientia ex his enim in ipsis deficiit lac.
- 30 Propter uirium imbecillitatem infantes medicamenta ualdè alterantia, & euacuantia tolerare non possunt.
- 31 In puero qui nondum quartum decimum annum attigit sanguis uitendus non est.

- 32 Infantes multi egrotantes per aliquot annos ex prava animi consuetudine, contraria motuum ipsius immoderatione curantur.
- 33 Aluum infantium astrictum data ad ciceris magnitudinem terebinthina, aut mellis uncia soluit.
- 34 Si lactea crusta oculos non ledit, neque deturpat breui, & facillimè sanatur.
- 35 Experientia compertum est laborantes initio lactea crusta saniores fieri.
- 36 Erysipelata, quæ caput inuadunt, nisi valdè efficaci subueniatur remedio, languentes interdum suffocat.
- 37 Herpetum ulcera, & pustula cum interdum, sint profundiores, diuturniores etiam fiunt, et si sanantur sine totius corporis purgatione denuò erumpunt, uel ad bubonem ducuntur.
- 38 Si herpes curetur antequam fiat ulcus à principio citò curatur.
- 39 Qui inueteratis achoribus laborant in deciduum capillitium incurunt, & alopeciam, & ophiasim, & ad exulcerationem, & hæc in cute usque ad carnem facillè uertuntur.
- 40 Tinea non solum ulcerat, sed aliquandò cum fœtore, & crustis, & capillorum deciduo deturpat caput, & totum aspectum.
- 41 Sirlasis triduò interficere solet, quòd si spatium illud superauerit, salutis spem proculdubio ostendit.
- 42 In inflatione capitis ab aqua extra craneum spasmus superueniens mortem portendit.
- 43 Inflatio capitis ab aqua intrà craneum difficillimè sanatur, & periculum mortis denuntiat.
- 44 Ab inflatione capitis à flatu si alui fluor superuenerit malum, ita & febris.
- 45 Perseuerante terribili somno periculum est ne infans incidat in epilepsiam.
- 46 Vigiliæ infantibus familiares non sunt, immodicè morbus.
- 47 Morbi comitiales si antè pubertatem quempiam inuaserint, mutationem recipiunt, nisi anno uigesimo quinto commoriuntur.
- 48 Smaragdus collo infantis suspensus arceat à proprietate comitalem morbum.
- 49 Radix pæoniæ collo infantis suspensa comitalem morbum à proprietate sanat.
- 50 Cum paralysis annum excedit contrahitur habitus morbi, ac proinde immedicabilis fit.
- 51 Si membrum paralyticum extenuetur, aut minuatur, malum, superueniente uerò febre, aut tremore, bonum.

Infantes

- 61 Infantes à conuulsione sicca difficulter corripuntur, quod si corripuntur, facile sanantur.
- 62 Glaucedo ex siccitate incurabilis est.
- 63 Glaucedo à redundantia, & uarietate humorum in principio curationem admittit.
- 64 Strabositas ab ortu non sanatur, nisi in habitu infantis ualè humido, ac si recens est, facile sanatur.
- 65 Palpebrarum crassities adducit pilorum casus, & ulcerationem, & sequitur eam corruptio oculi, & ophthalmia.
- 66 Si pruritus, & scabies oculorum peccant in sanguine, uel bile flaua, uel pituita, bonum, si uerò commissione atræ bilis, malum.
- 67 A dolore aurium si generatur apostema, periculum mortis imminet.
- 68 Dolor aurium acutus, & uehemens cum febre continua, malum, periculum enim delirij, & totius mentis alienationis denuntiat.
- 69 Sternutatio sinè defluente catarrho in omnibus morbis signum est saluberrimum.
- 70 Grauedines, & sternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone fatigent præire, & subsequi malum, ex his enim facile in scotomiam, & uertiginem egrotantes incurrunt.
- 71 Ob rimas labiorum infans cum maximo dolore, & difficultate lac è mammis emulget, & malè nutritur.
- 72 A gingiuarum prurigine, & dentium productione dolorifica, periculum est, nè infantes incurrant in febres, conuulsiones, & alui profusio, & serò adueniens magis dolet, & cum maturius, minus.
- 73 Infantes, quibus in dentitione aluus plus æquo laxatur, minus conuelluntur, quàm quibus modicè.
- 74 Quibus in dentitione febris acuta accedit, parùm conuelluntur.
- 75 Qui hyeme dentiunt, si in ijs cætera alioqui rectè se habent melius liberantur.
- 76 Qui cum tussicula dentiunt, tardius dentes producant.
- 77 In prouerbio dici solet. Donec ab oculis non sunt editi dentes, de filiis genitores non sunt gaudentes.
- 78 Dentes canini uulgò ab oculis uocantur.
- 79 Lupinus dens collo infantis suspensus dentitionem à proprietate adiuvat.
- 80 A proprietate ad dentitionem dolorificam lac caninum, & medulla caballina confert.

- 72 Abscessus ex dentitione gingivarum nisi solvantur, adhibitis opportunis remedijs facile suppurantur.
- 73 Ex superflua carne ex dentitione orta interdum excitantur dolores, & febres, & inflammationes loci affecti.
- 74 Gingivarum uesculae facile sanantur.
- 75 Dentium dolor inter maximos numeratur ex quo facile excitantur febres, conuulsiones, & alui duræ, & cruditates.
- 76 Dens hominis mortui ex sententia quorundam à proprietate collo infantis suspensus dentium dolorem lenit, & soluit.
- 77 Ad dentes dolentes à proprietate confert lac asinum, & pimpinella herba trita.
- 78 Aphthæ in infantibus facile sanantur à principio, à quibus aliquando sunt ulcera diuturniora, & ægrè soluntur, & in progressu temporis putredinosi quidpiam acquirunt.
- 79 Nisi subiecta, & iuncta lingue pars, undè loquela impeditur succisa sit, sero in sermonem prorumpitur, ubi uerò cū eo uitio nati loqui liberè caperint, & satis maturè loquuntur, & impediuntur in uerborum, & nominum prolatione in quibus R. aut L. aut K. literæ frequenter occurrunt.
- 80 In infantibus ranunculus, seu batrachus facile sanatur.
- 81 Tonsillarum columellaque inflammationes raro in infantibus eueniunt nisi cum ceruicis uertebre affecta loco excidunt, quo in casu infantibus illis tanquam deploratis manum admoliri non oportet.
- 82 At si tumor existat in collo, bonum, & fauces dolentes cum quadam strangulantes difficultate citò interimunt.
- 83 Tussis diuturna plerunque perducit ad sputum sanguinis.
- 84 Qui gibbi ex anhelitu, aut tussi efficiuntur, antè pubertatem intereunt.
- 85 A tussi inueterata infantes interdum ducuntur ad phthisim & hellicam, & ad herniam.
- 86 Asthma in decrepitis non sanatur, & in iuuenibus ut plurimum est difficilis, & longa.
- 87 A stomachi debilitate sequuntur infirmitates, quæ à cruditate proueniunt.
- 88 A uomitu singultus, & oculorum rubor malum.
- 89 Vomitus colore albus, aquosus, citrinus, & ruber uebementer, & obscurus est malus, & deterior est, qui est sicut flos æris, & niger, & cui succedit spasmus interficit statim.
- 90 Vomitus utilissima est, quando est pituitosa, & bile permixta.
- 91 Coralium rubrum collo infantium lactentium appensum, & usque ad

90. ventriculi demissum lactis uomitum prohibet, & eorum conco-
ctionem adiuuat.
91. A singultu sternutatio superueniens liberat, & ubi sanguis multus flu-
xerit, singultus, aut conuulsio superueniens, malum, ita & ex su-
perflua purgatione.
92. Ab ileo singultus si fiat in altiore sopore, aut animi deliquio, aut
tetano mors non longè abest.
93. Dolores, qui cum febre affligunt circa lumbos, & inferas sedes, si pra-
cordia attigerint inferas sedes relinquentes, exitiales admodum sunt.
94. Quibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor,
qui neque medicamento, neque aliter soluitur, in aquam inter cu-
tem firmatur.
95. Dolores uentris in parte superna leuiiores, in inferna uehemen-
tiores.
96. In dolore uentris uehementi partes extremae frigidae malum,
97. A uentris dolore diurno, suppuratio.
98. Si ructus acidus fiat, qui prius non erat in longis intestinorum leui-
tatibus bonum.
99. Omnia uentris profluvia post egritudines acutas, symptomata sunt
mortalia.
100. Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit lethalis est.
101. In torminibus si ueluti carunculae exeant, lethale est.
102. In longis torminibus inedia ex fastidio malum, & cum febre peius.
103. Adiectione sincera difficultas intestinorum, malum.
104. In alui profluuijs mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mu-
tatio fiat.
105. Magna effusio sanguinis post dysenteriam ualde mala.
106. Vlcera intestinorum perducunt ad hydropem.
107. Conuulsio, uomitus, singultus, & conturbatio rationis, post dysente-
riam, mortis indicia sunt.
108. Qui habet dysenteriam, & apparet post eius aurem sinistram, ue-
luti res nigra similis orobo cum uehementi siti moritur, ultra deci-
mum diem, nec uitam producit.
109. Tenesmos, qui dysenteriam non sequitur, bonum.
110. Tenesmos per se ortus ubi aliquantulum processerit in infante con-
quiescit.
111. Ob aluum astrictam in infantibus facile sequitur uentris, stomachi,
uel capitis dolor.
112. Ventris inflatio à flatu facile curatur, ab aquositate, & obstructione
uiscerum difficile.

- 114 Lumbricos teretes eunte in iudicationem morbo descendere idoneum est.
- 115 Multi nulla lumbricorum cura habita exesi ab ipsis sunt, & conuulsi interierunt.
- 116 Inter febrium initia geniti lumbrici tales natura sunt, qualis materia corrupta, unde creati sunt, circa statum, qualis est morbi malignitas, circa declinationem melius omnino.
- 117 Deteriores sunt lumbrici maiores minoribus, multi paucis, rubri albis, & uiuentes mortuis.
- 118 Incipientibus acutis morbis si lumbrici teretes uini deijciuntur pestilentes morbos indicant, inclinantibus mortui malum, inter utrumque tempus quoquomodo appareant, malum est.
- 119 Lumbrici deiecti sanguine conspersi malum.
- 120 Ex ipsis lumbricis frequens in infantibus anhelitus frigidus, tumescens adhuc corpore, lethale, sequenti enim die mortem preannuntiat.
- 121 Ascaridibus infesti breuioris uitæ sunt.
- 122 Inflammatorum, & umbilici tumorum, si rectè, & citò curentur facilis curatio est.
- 123 Generatio calculi in uesica in pueris est ualdè familiaris.
- 124 Puluis maxillarum luporum, piscium salitorum à proprietate lapideum in uesica frangit; idem facit puluis leporis usti, & sanguis hircinus.
- 125 In cuius urina est fex arenosa lapis in eo non facillè coalescit.
- 126 Si ex aliqua externa causa musculo frigefacto generatur urinae incontinentia melius est, quàm si citrà manifestam causam proueniat.
- 127 Quo plus patientibus euenit urinae inuoluntaria emissio eò minus periculo sunt obnoxij.
- 128 Qui urinam sine uoluntate emittunt ob curuicis uesicæ uulnus, aut casum, aut uertebrae luxationem, superuenientibus, quæ mortem indicant notis, nulla eos medicina periculo liberat.
- 129 Si qui lotium non eijciunt, eorum subiecta membra debiliora sunt, paulò post moriuntur.
- 130 Intestinorum hernia qualiscunque fuerit semper aquosa deterior.
- 131 Procidencia ani sine inflammatione melior est, quàm cum inflammatione.
- 132 Ex excoriatione facillè suboriuntur inflammationes, exulcerationes, dolores, & uigilie.
- 133 Tustulæ seu uariolæ, uel morbilli magna ex parte afficiunt infantes,

- & iuuenes, rarissime senes.
- 134 Difficilis fit eruptio pustularum ijs, quorum cutis crassa, & densa est.
- 135 Difficilior est laterum pustularum eruptio.
- 136 Etsi accedit cutis densitas, saepe intus pustulis detentis moriuntur.
- 137 Ineruptione earum, quae sunt altiusculae, quae facilius est, pauci pereunt.
- 138 Ex pustulis, quae ulcerosae sunt, uel spissae, paruae, eminentiores, & rubrae, cum febre, uel nigrae lethales sunt.
- 139 Pustulae albae, rubrae, rae, lataeque salubriores sunt.
- 140 Quem semel uariola, seu morbilli tentarunt, is ex quorundam sententia, illis amplius non erit obnoxius.
- 141 In facie, & alijs partibus corporis ambustis signa existunt monstruosa (nisi recte curentur) ipsaeque partes affectae aliquando exsiccatae, captae, debilesque remanent.

VINGENTIVS. QVINTVS.

F I N I S.

H X C A D E B A T.





BRIXIAE,
VINCENTIVS SABBIVS
EXCVDEBAT.

M. D. LXXVII.

